



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Cessationis effectus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

tur, intra mensem se componant, & adeant Summum Pontificem per se, vel per Procuratorem. Qui cessationem tulit, potest transacto mense, postquam iter ad Summum Pontificem suscepit, tollere cessationem. *Ibid. n. 2. & seq.*

4. Causa materialis proxima ob quam cessatio imponitur, est delictum & culpa manifesta; quæ valde gravis esse debet, & gravior quàm sit ea, ob quam ponitur interdictum. *Ibid. n. 5.*

5. Finis remotus cessationis est resipiscencia & emendatio illius, cujus causa lata est cessatio. *Ibid. n. 6.*

Cessationis effectus.

6. Effectus cessationis est, ut tempore cessationis tam generalis, quàm particularis absteatur à divinis officiis publicè recitandis: ut ab horis Canonicis publicè persolvendis, à celebratione Missæ, &c. etiamsi servetur moderatio: deinde tempore cessationis Sacramentum Ordinis, aut extreme Unctionis non confertur laicis, aut clericis; secùs dicendum de aliis Sacramentis ob illorum necessitatem, maximè de Sacramento Baptismi. Non videtur licitum tempore cessationis contrahere matrimonium. Præterea cessatio privat laicos sepultura sacra, saltem quoad divina officia, etiam quoad eos qui habent privilegium sepulturæ pro tempore interdicti. Violans cessationem, graviter peccat, & incurrit irregularitatem, vel excommunicationem. *Ibid. p. 3. n. 1. usque ad 12.*

7. Ille cujus causa lata est justa cessatio, tenetur ad reficienda omnia damna clericis, qui coacti fuerunt servare cessationem, & distributiones amiserunt, vel alia damna passi sunt. *Ibid. n. 12.*

Charitas.

1. Charitas est virtus supernaturalis, omnium virtutum excellentissima, quâ Deus super omnia diligitur. Tenemur Deum diligere super omnia appetitivè, non verò intensivè; propterea diligendus est tamquam finis ultimus omnium rerum; alioquin Deus non diceretur diligi super omnia, si dilectio illius referretur ad aliquid aliud, tamquam ad ultimum finem. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum. disp. 3. quæst. 4. punct. 1. n. 1. & seq.*